



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mataeologia Labadiana: Das ist; Widerhohltes und vermehrtes Bedencken/ Was nach anweisung der Heil. Göttl. Schrift und Gottseeligen Antiquität/ wie auch der gemeinen Evangelisch-Lutherischen/ ...

Nifanius, Christian

Bilefeldt, 1673

VI. Donatistarum confusionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35601

sed unam eandemq; dicimus considerari, vel *ἕσως* & quoad essentiam seu communionem, vel *ἕξως* & quoad existentiam, seu externam communionem. *Priori modo* considerata constat vivis duntaxat membris; *posteriori autem modo* admixta simul habet membra mortua. Scimus *Donatistas* hunc errorem fovisse; *Ecclesiam* periisse de cæteris gentibus, & *in sola Africa* remansisse. Hæc nos non tangunt. *Ecclesiam* in toto mundo, in quibusvis Ecclesiis particularibus Christo colligi, nec certo vel loco, vel genti astrictam, asserimus. Non superbimus *Ecclesiæ* titulo, absq; doctrinæ Apostolicæ consensu. Nec consistit veritas in externa quantitate. *Quicumq;* enim de ipso capite (Christo) ab *Scripturis sanctis* dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus *Ecclesia* designata est, non sunt in *Ecclesia*, Augustinus inquit lib. de unit. Si autem *Ecclesia Christi*, *Judice Eodem*, *canonicarum Scripturarum Divinis* & certissimis testimoniis in omnibus designata est, sufficit nobis. Ergo in *Scripturis sanctis* *Canonicis* eam requiramus non in terrarum locis vel angustiis vel spaciosis.

VI. Donatistarum confu- sionem.

OMnem moverunt lapidem *Impp. Constantinus, Constantinus, Valentinianus, Honorius* aliiq; , quo ad pacem & concordiam reducerentur *Donatistæ*. Tentarunt hanc factis ac verbis, tum amicis, tum seriis. Inprimis Imperator *Honorius* severas contra Eosdem tulit leges, quæ tantam habuerunt vim, ut non pauci *Donatistarum* sectæ valedixerint, & ad *Ecclesiam Catholicam* redierint. Ita enim *Augustinus* refert epistola L. ad *Bonifacium*: *Iam* verò, quum ipse leges venissent in *Africam*, præcipue illi, quæ querebant occasionem, aut servitiam furentium, metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad *Ecclesiam* continuo transierunt — adeo ut magna agmina populorum vera mater (*Ecclesia*) in sinum reciperet, & populi per plurimas *Africa* regiones ab illa perditione liberati ad hymnos audiendos

& canendos, & ad verbum Dei percipiendum celebres hila-
 resq; conventus instituerent, & cum dolore magno prateriti
 erroris recordarentur. Et Epist. XLIX. ad Vincentium:
 De multorum correctione gaudemus, qui tam veraciter unita-
 tem Catholicam tenent atq; defendunt, & à pristino errore se
 liberatos esse letantur, ut eos cum magna gratulatione mire-
 mur. Et rursus: O si possem tibi ostendere, ex ipsis Circum-
 cellionibus, quam multos jam Catholicos manifestos habeamus,
 damnantes suam pristinam vitam, & miserabilem errorem,
 quò se arbitrabantur pro Ecclesia Dei faceres, quicquid in quie-
 ta temeritate faciebant, qui tamen ad hanc sanitatem non
 perducerentur, nisi legum istarum, quæ tibi displicent, vin-
 culis, tanquam phrenetici ligarentur. Vide ibidem plura.
 Tanta per leges Honorii ad Catholicam unitatem facta fu-
 it accessio. Sed & per collationem Carthaginensem egre-
 giè in ordinem redacti sunt Donatistæ, & pax Ecclesiæ pro-
 mota. Egregium sanè S. Augustino eo ipso nomine accinit
 Ὁ ἄριστος Πόσιδιος in vita cap. XIII. De his omnibus pro
 pace Ecclesiæ gestis, Augustino Dominus & hic palmam dedit,
 & apud se justitiæ coronam reservavit: ac magis magisq;
 iuvante Christo, de die in diem augebatur & multiplicabatur
 pacis unitas, & Ecclesiæ Dei fraternitas. Et id maximè fa-
 ctum est per collationem, quæ ab universis Episcopis Catholi-
 cis apud Carthaginem cum iisdem Donatistarum Episcopis
 postmodum facta est, adjuvante gloriosissimo & religiosissimo
 Imperatore Honorio, propter quod perficiendum etiam à suo
 latere Tribunal & Notarium Marcellinum ad Africam Iudi-
 cem miserat. In qua controversia illi omnibus modis confu-
 tati, atque de errore à Catholicis convicti Sententiâ Cognito-
 ris notati sunt, & post eorum appellationem piissimi Regis re-
 sponsa, justè inter hereticos condemnati sunt. Tandem,
 quoniam Donatistæ Catholicos non tantum convitiis pro-
 scindere, sed etiam persequi & trucidare non dubitarunt,
 S. Augustinus imperiale brachium contra eos invocare est
 coactus. Insectamur, ait epist. L. vi potestatis secularis he-
 reticos, non quia fidem deseruerunt, sed quia illi Catholicos
 usque ad necem persequuntur. En vererem genium Donati-
 sticum! Hic quomodo in hodiernis Labadianis maximam
 parrem rediivus factus, sequens manifestabit deductio.